

1. Dav. Vogel diff. ex creatio Mundi et
 lumine nature demonstrari queat. 1704.
 2. Chr. Marcorij diff. ex Gen. i vi. 1723.
 3. Joach. Hildebrandi diff. de creatione unius. 1657.
 4. Berth. Derrichow diff. de immortalitate
 primi hominis. 1629.
 5. Christ. Marcorij diff. de voluntate Adami. 1710.
 6. ioh. Strelmanni diff. de Lazaru primorum
 parentum. 1637.
 7. Mart. Correll diff. II, de flavijs praedictis. 1706.
 8. Aug. pfeifferi, diff. de homicidio Lanckii. 1671.
 9. Christ. Neubaur diff. de signo quod Deas
 caini posuit. 1672.
 10. ioh. phil. pfeifferi diff. de homicidio Lanckii. 1670.

35.
1

Q. D. S. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA I.
DE
**GENUINO ET
HARMONICO SENSU
DICTORUM**

Exod. XX. 5. & Ezech. XIIIX. 19. 20.

apparenter sibi contradicentium;

Quam,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,
DOMINO FRIDERICO

WILHELMO,

REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS BRAN-
DENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.

VENERANDÆ FACULT. THEOL. CONSENSU
IN ACADEMIA REGIOMONTANA

Placide eruditorum ventilationis fistunt,

PRAESSES

MICHAEL SCHREIBER,

S. Theol. Doct. & P. P. Ordin. Consiliar. Consistorial. Eccles.
Cathedral. Cniphofianæ Pastor ac Bibliothecar. Wallenrod.

Et Respondens

JOHANNES HEINRICUS SAFFT,

Seelgenfeld Prussus,

ad d. Novembr. A. MDCCXI.

IN AUDIT. MAX. Horis consuetis.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

Magnifici Nominis & Praelobilissima
DOMINO
FRIDERICO
KUPNERO,

S. R. M. in Prussiâ Cameræ Consiliario
Actuali Intimo, Supremo Bellicarum Rationum Com-
missario, Vectigaliumq; Directori gravissimo,
Domino Hereditario in Speichersdorff/Awenden/Spandtenen/et.c.
Mœcenati Gratosissimo:

Nobilissimo & Amplissimo

DOMINO
JOHANNI ERHARDO
ETMULLERO,

S. R. M. in Prussiâ Commissionum Secretario vigilantissimo.
Archivorumque Bellicorum Registratori fidelissimo,
Hospiti & Patrono indulgentissimo,

*Ille ego, quem lotum iste sacris suscepit in iudicis,
Hic dapibus totum fovet atq; penatibus hospes,
Quæcunq; exiguis hic sunt coramissa tabellis,
Nunc quo; Sterg novi, ut veteris stat, gratia facti.*

Johannes Henricus Saffr

Quanquam nullius præmii aut poenæ intuitu DEUS timendus sit, & voluntariam non coactam exigat obedientiam, funibusque hominum trahat, non bovinis aut vitulinis, Hos. XI. 4. nihilominus cum sciat supremus Legislator, paucos virtutis amore, duci, plurimos formidine poenæ deterrei, gravissimum legi suæ, per Mosen promulgatae, comminationem addere voluit. Extat illa Exod. XX. 5. & sic se habet: **אָנֹכִי יְהוָה אֱלֹהֶיךָ פָּקַד עַזְּנֵיכֶם עַל־כָּנִים עַל־שְׁלָשִׁים**

LXX. ita translitere: **Ἐγὼ γάρ εἰμι ὁ Θεός σα, Θεός Ἰακωβος, ἀποτύλμης ἀμαρτίας πατέρων ὅμιλου, ἐώς τετράτης γερεάς τῆς μοσχῶν με.** Vulgata taliter: **Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.** Sebastianus Schmidius: **Ego Jehova Deus tuus, & Deus Zelotes, visitans iniquitatem patrum super filios, super tertiam & super quartam generationem, quantum ad osores meos.** Versio antiqua Norimbergæ per Antonium Coburger A. 1483. Ich byn der Herr deyn Gott/ starek und eyn eyfrender Liebhaber/ heymischend die Bosheit der Vetter in dye sun/ in das dritt und vierd Geschlecht/ der die mich hassen. B. Lutherus hunc in modum: Ich der Herr dein Gott bin ein eyferiger Gott/ der da heimsucht der Vater Missethat an den Kindern/ bis in das dritte und vierde Glied/ die mich hassen.

Appellat se Deus **אָלָה** forteū Zelotem: quæ vox non solum affectum significat, qui est inter amantes, & non fert corriavalem, sed & eum, quō animus commovetur & irascitur

& suis & suorum contumeliis, ita, ut paratus sit ad injuriam ul-
tiscendam, quemadmodum de Phinees legimus, Num. XXV.
II. Phinees avertit furorem meum à filiis Israël בְּקַנְתָּו אֶת כְּתֻכְּבָה qvum zelatus est zelum meum in med' eorum, i. e. ar-
dore quôdām animi commotus est (ut solent zelotypi) pro-
pter me, videns indigna cultu meo fieri, atque eam injuriam
ultus est. Zelus propriè significat amorem viri ad uxorem, in quā
non p̄mititur alium communicare: & hōc modo dicitur Deus Zelotes,
quia non vult, quod homo fornicetur cum Diis aliis per idololatri-
am, inquit Nicol de Lyra in h. l. Afflīctio, quam Dominus
minatur, visitatio dicitur, quæ non est gratiola, qualis Genes.
XXI. 1. L. 25. Jer. XXVII. 22. & XV. 15. Luc. I. 78. VII. 16. & alibi
describitur, sed poenalis & judicialis, qvō sensu accipitur Exod.
XXXII. 34. Num. XVI. 29. Esa. XXIX. 6. Jer. V. 8. IX. 9 XI. 22.
LXX. Verbum ἥπα hoc sensu acceptum verterunt: alias ἔχ-
δρεῖν, quod est ul. iſci, veluti Jer. XV. 3. XXIII. 2. & 34. Hos. I. 4.
II. 13. Soph. I. 9. & alibi passim; hic autem, quemadmodum &
Num. XIV. 18. & Deut. V. 9. illud transtulere per ἔχοδον, quod
idem est ac referre, retribuere, persolvere. Quomodo intelligit
& Syrus, qui vertit per עֲשֵׂה reddens.

§. III.

Iniquitas, quam Deus in posteris puniendam esse com-
minatur, est cultus idololatricus. In Hebræo est vocabulum
עַבְדִּים, quod de magnis criminibus solet usurpari, velut Gen. XV.
16. ubi Deus dicit Abraham: Nōndum perfecta vel completa
est iniquitas Amorrhei, i. e. nondum impleta est mensura ab-
ominandorum criminiū, quæ ab Amorrhæis & Cananæis
patabantur, qualia erant, præter idololatriam, injustæ op-
pressions pauperum & peregrinorum, nec non promiscua
cum consanguineis matrimonia. Et Jos. XXII. 17. An parum
est vobis עַבְדִּים Peor? Nunquid, vult dicere, pro exiguō deliq̄to
habetis,

3

habetis, quod commisisti in colendo idolo illō Moabitarum.
Num. XXV. 5. quodque Deum ad tantam induxit indignationem, ut nec dum penitus sit placatus, & si multi ex vobis perierint. Hoc igitur nomine idololatriam & hic insignit, ut ostendat, non esse gravius illō peccatum, quod magis iram ejus provocet. Inde & alibi idololatria peccatum simpliciter, & qui eandem commiserunt, peccasse *νατ* εξοχη dicuntur, vid. Exod. XXIII. 33. XXXII. 31. Deut. IX. 18. Thren I. 8. Syr. XLVII. 29. Eiusmodi peccata, quin graviorem Dei vindictam provocent, ne Ethnici quidem fuit obscurum, αγη à Græcis dicta, quibus etiam posteros delinquentium obnoxios teneri credebant. Inde Niobes, Tantali, aliorumque Poëtarum fabulis decantatae calamitates, etiam in posteros prolatæ, & ut, referente Augustinô L. III. de Civit. D. c. 2. Romani causabantur Priamo redditæ Laomedontea paterna perjuria. Extat apud Ælianum L. III. c. 43. Oraculum tale Delphicum:

At scelerum fontes Divinum perséquitur jus,

Nec pote vitari; non si genus à Jove ducant:

Sed capiti ipsorum, quique enascuntur ab ipsis,

Imminet; ing domo cladem subit altera clades.

Agebatur autem ibi de Sacrilegiō. De perjuriō similes sententiæ alibi leguntur.

§. IV.

Minatur autem Deus se vindicaturum hanc iniquitatem in filiis, & quidem in tertiam & quartam generationem, ad nepotes usqve & pronepotes. Quod non ita intelligendum, quasi non in plures & pauciores gradus animadvertere possit Deus, quia hæc ratione libertatem ipsi esse præceptam dicendum foret; Sed quia solent interdum tamdiu vivere parentes, donec filios tertios aut quartos habeant, ut testatur vel exemplum Jobi cap. XLII. 16. Et sic mutuo videre possunt & filii peccata patrum

patrum ad imitandum, & patres poenas filiorum ad dolendum. Nam & liberi ut plurimum parentum sequuntur vestigia, & hi non gravius, quam Augustinus hic allegorizat & per tertiam ac quartam generationem, quae septenariō numerō significantur, universas intelligit generationes. Ita enim Lib. Qq. in Deuteron. Quæst. 42. Tom. IV. Oper. *Quamvis & illud meritò quereri posfit, si redundunt peccata patrum in filios his, qui oderunt Deum, cur in tertiam & quartam generationem, veluti pretermisā primā & secundā, vel non etiam in ceteras permanente impietate & imitatione malorum parentum.* An per hunc numerum, quoniam septenarius intelligitur, universitatem significare voluit, & ideo non ipsum potius septenarium posuit, ut diceret, in septimam generationem? Ac sic omnis intelligeretur, quia causam perfectionis hujus numeri, hoc modō potius intimavit. Ideo namq[ue] perhibetur perfectus, quia ex his duobus constat, ternariō scilicet primō impari totō, & quaternario primō pari totō. Unde esse & illud Propheticum existimo, quod asiduè repetitur, In tribus & quatuor impietatis non adversabor: per quod voluit impietas universas potius, quam tres vel quatuor intelligi. Verum magis consentanea est ejus expositio Libr. Quæst. V. T. cap. 14. To cit. quā literali inhæret sensui, & clementiam Dei majorem esse, quam ipsius severitatem in puniendo significat. In hoc, inquit, clementia Dei laudabilis est, ut odio habentibus se, usq[ue] in tertiam & quartam reddat progeniem, & non in millia nullum. Periret alias gratia comparationis, in quā ita misericordia & iustitia opponitur, si omissā literā, allegoria locum haberet. Nihilominus seria est Dei comminatio, quam in parentum transgressorum liberos quoque & nepotes vibrat: non quasi parentes non ipsi quoque participes poenæ esse deberent, prout hoc sēpè evenit, sed quod poena liberorum quoque parentum poena sit futura. Idem repetit Exod. XXXIV. 7, nec non

Deut.

Deut. V. 9. Similia sunt, quæ leguntur Levit. XXVI. 38, 39, 40.
 Sic peribitis inter gentes, comedetq; vos terra hostium vestrorum.
 Donec residui inter vos contabescant in iniquitate suâ, in terris ho-
 stium vestrorum, etiam in iniquitatibus patrum ipsorum cum ipsis
 contabescant. Confiteanturq; iniquitatem suam, & iniquitatem
 patrum suorum, ob prævaricationem eorum, que prævaricati sunt
 contra me, quâve etiam iverunt mecum in adversum. Et Num.
 XIV. 33. Filii vestri pascentes in deserto quadraginta annos fe-
 rent penas scortationum vestiarum, donec deficiant corpora vestra
 in desertô. Spectant huc illa Davidis Psal. XXXVII. 28. Semen
 impiorum exscinditur.

§. V.

Ne verò quis de comminatione hâc Divinâ idem forte
 sentiat, quod Alciatus Lib. VII. Resp. 19. *incip. in proposita*
n. 15. de frigidâ Caroli IV. in A. Bullâ c. XXIV. in filios ejus,
 qui de nece Electoris Ecclesiastici vel secularis conspiraverit,
 sententiâ, illam magis ad terrorem, "quam futuram observan-
 tiam esse factam; quam plurima liberorum exempla in S. ex-
 tant literis, in quos ob parentum peccata severissimè Deus
 animadvertis. Nonne enim igne Sodomiticô cum scelerosis
 adultis parvuli & infantes, qui nefanda scelera nondum patra-
 verant, absulti sunt? Gen. XIX. 25. ob furtum Achani, com-
 busti sunt etiam ejus liberi, Jol. VII. 24, 25. Quantò severi-
 tatis zelô ultus est Deus adulterium Davidis in illius liberis?
 & quæ execranda in domum familiamque Regis hujus invexit
 mala? vid. 2. Sam. XII. & XIII. Idem internecio illa, quâ
 cæsi sunt Amalekitæ, clarissimè testatur. Ita namque Samuel
 jussu Domini Saulum alloquitur, 1. Sam. XV. 2. 3. *Sic ait Je-
 hova Zebaoth: Visitare constitui, quod fecit Amalek Israeli, qui*
posuit (insidias) huic in viâ, quum descendere ex Ægypto. Qua-
re abi & percute Amalekum, ita ut devotioni detis omnia, quæ ipse

(sunt) nec parcas illi, sed occidas à virò usq; ad mulicrem, ab infante usq; ad laetantem, à bove usq; ad pecudem, à camelō usq; ad asinum. Horrendum supplicium! Et tamen illa generatio, quæ obſtiterat Israeli ex Aegypto ascendent, rebus humanis tum exempta erat intercideratque. Usque adeo antiquum etiam crimen Deus ad animum revocārat, ut post CCCC ferè annos illud ulcisceretur. Vid. Brent. in I. Sam. XV. Homil. XLIX. Similiter perfidiam Saulis filii ipsius fuisse exitio, 2 Sam. XXI. 6.8. & 9. legere eſt. Huc etiam Salvatoris ſpectant verba, quibus Judæorum attonabat aures. Matth. XXIII. 35. *Veniet super vos omnis sanguis iustus, qui effusus eſt super terram, à sanguine Abelis iusti, usq; ad sanguinem Zacharie, filii Barachia, quem occidistis inter templum & altare.* Item horribilis illa Judæorum execratio Matth. XXVII. 25. *Sanguis ejus (Christi) ſit super nos & super filios noſtros:* Nec non dictum illud Joh IX. 2. *Ma- gister, quis peccavit, hic, an parentes ejus, ut cœcus naſceretur?* quæ discipulorum quæſtio nititur quidem ſuspicione de μετεμψυχώσει, admodum Judæis familiari, ut opinatur Piftator in h. l. ut ita quærentes existimārint, forſan hanc animam propter præcedentia peccata (in priori corpore) in corpus cœcum detruſum eſſe. Interim tamen hoc inde elicitur, discipulos credidisse, poenas eſſe hæreditarias.

§ VI.

Quod de naturalibus modò diſtum eſt parentibus, ad Reges quoque applicat Sanctius ad Ezech. c. XVIII. à quorum capite pariter malum in Reipublicæ corpus derivare soleat Deus. Ita Pharaonis inobedientia non modò ipsius primogenito interitum acceleravit, Exod. IV. 23. verum etiam primogenitis omnibus in omni Aegypto, Exod. XI. 5. & XII. Davidis ambitione toti populo imputata eſt. 2. Sam. XXIV. & Gibeonitarum cædem à Saule patratam trium annorum tame ultus

ultus est Deus, 2. Sam. XXI. Ob neglectum Christi pueri Bethlehemitarum luerunt, Matth. II, 16. *Sepè etiam ex occultis causis Dei ultio in Reges est, sepè pro populo Reges, pro Regibus sepè plectuntur populi, ut visum Divina providentia, cui subjacent Reges & populi, quamq. hominum securitas & ultio aequè movent;* Gramond. L. 4. Histor Gall. p. 262. Horatius L. I. Ep. 2. cum insanias Regum in nervum erumpentes notat, ita canit:

*Fabula, qua Paridis propter narratur amorem,
Gracia Barbaria lentò collisa duellò
Stultorum Regum & populorum continet astus.
Antenor censet belli præcidere causam.
Quid Paris? ut salvus regnet vivatq. beatus,
Cogi posse negat. Nestor componere lites
Inter Peleiden festinat & inter Atreiden.
Hunc amor; ira quidem communiter urit utrumq.
Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.*

Idem Hesiodus L I. Op. V. 258 259. canit, item v. 238. nec non Juno apud Virgil. L. I. Aeneid. v. 39. fatetur. Imò experientia aliquoties docuit, justos & innocentes, unà cum impiis, licet inter illos non tam arcta intercesserit cognatio, qualis inter liberos & parentes, Reges & subditos est, unà subinde ruinâ tolli. Jobi vox est, *Deum consumere innocentem & impium*, c. IX. 22. Quin ipse severissimus judex ita comminatur: *Ecce, ego exeram gladium meum è vaginâ suâ, ut exscindam ex te justum & improbum, idcirò prodibit gladius meus è vaginâ suâ contra omnem carnem à meridie usq. ad aquilonem.* Ezech. XXI. 3. 4.

§. VII.

Similem rigorem etiam alii subinde in homines innocentes exercendum voluerunt. Siquidem in criminis læsæ Majestatis olim in liberos quoque poenæ deriyabantur 1. 5. Cod. ad L. Jul. Maj. quā nimirūm injuriā notati ab omnibus honori-

honoribus arcebantur, omniq[ue] successione privabantur: Quam legem suam fecit Carolus IV. in A. B. Tit. XIV. Fili[us] vero ejus, quibus vitam Imperiali specialiter lenitate concedimus, (paternō enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, h. e. hereditarii criminis metuuntur exempla:) à maternā vel avitā, omnium etiam proximorum hereditate & successione habeantur alieni, ex testamento aliorum nihil capiant, sint perpetuū egentes & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullum unquam honorem, ad nulla prorsus sacramenta perveniant: sint postremē tales, ut his perpetuā ēgestate sordentibus sit mors solatum & vita supplicium. Qvō quid rigidus unquam dici potest? Neque ignotum est hāc in re Curiæ Parisiensis placitum, quō jubentur parentes Ravalliaci, parricidae Henrici IV. ditione Gallicā abstinerere, sub pena capitis, non secus ac agnati, Ravalliacos nomine infami in omne ērum futurō, teste Gramondō L. I. Hist. Gall. p. 8. Quid in obsides, quorum principales fefeller fidem, etiam humanissimi populi statuerint, constat ex Grot. J. B. & P. L. II. c. 21. §. II. L. III. c. 4. §. 14. &c.

§. VIII.

Hisce verò omnibus multa Scripturæ S. obstant loca, quibus contrariam sententiam promulgavit Deus, quod parentum poenas nequaquam portare debeant liberi. Deut. XXIV.

16. Non morientur patres propter liberos, & filii non morientur propter patres; vir qvisq[ue] in peccato suō occidetur. Unde Amazias, Rex Judæ laudatur 2. Reg. XIV. 6. & 2. Paral. XXV. 4. quod secundum præceptum Dei, non necasset illorum liberos, qui patrem ipsius occiderant. Potissimum notabilis est, quem conciliandum nobis sumpsimus, locus apud Ezech. XVIII. 2.

Quid est quod inter vos parabolam vertitis, in proverbium istud in terrā Isræl, dicentes: patres comedenterunt uiam acerbam, & dentes filiorum hebetati sunt? Volebant se eximere à reatu, quasi

Deus

DEus in justè persequeretur patrum scelerata adversus ipsos. Sicut enim qui immaturas comedunt uvas, odontalgiam patiuntur, & qui comedentibus adstant, sentiunt sibi dentes obstupefieri, juxta Aristot. Sect. 7, Probl. Quæst. 5. Ita conquerebantur, Deum percisse majoribus ipsorum sceleratis, & de liberis nihil mali meritis repetere poenas. Per uvam immaturam intelligunt peccatum, ut est idololatria, fiducia humani auxillii, corruptio judiciorum &c. conf. Et. V, 2. per stuporem dentium, poenam, quæ facit, quò minùs gustare possit homo, quam savvis sit Dominus, Psal. XXXIV. 9. Hoc adagium in ore fuisse vulgi, ex Jer. XXXI. 29, intelligere est. Sensum ejus Ciceronis verbis explicare possumus, qui ad Brutum scribit: *Nec verò me fugit, quam sit acerbum, parentum sclera filiorum paenit lui &c.* Omnes gentes sua habent proverbia, quibus significant, aliquem pro aliò poenas dare. Germani dicunt: *Quod tu intrivisti, mihi exedendum est.* Erasmus inter proverbia numerat: *Tibicen vapulat*, ex Athenæo referens, hunc fuisse morem, apud Græcos, ut si quid peccasset coquus, tibicen vapularet. Aliud quoque habet: *τὸ κυνὸς κακὸς ὁ ἀπένοι, h. e. canis malum sus dependit*, quoties pro iis, quæ peccavit alias, alias dat poenas.

§. IX.

Dicterii hujus apud Judæos occasio fuit frequens Prophetarum comminatio, Judæam delendam esse ob peccata Manasses, sicut Israel propter scelerata Jerobeam sublatius erat. Ex quò illi argumentabantur: Ergò filii portant peccata patrum, & patiuntur dentium stuporem contractum ab uvâ acerbâ, quam comedenter patres. Quale illud est Thren. V. 7. *Patres nostri peccaverunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portavimus.* Quibus querimonii satisfacit DEus, sed prius eorum insolentiam comprimit, dicens: *Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit vobis ultra parola hec in proverbiū in Isræl.* Subjicit deinde v. 4.

*Ecce omnes animæ meæ sunt: ut anima patris, ita & anima filii,
omnes meæ sunt.* Tuetur causam suam & ab impiorum crimina-
tione justitiam vindicat, dicens se esse omnium creatorem ac
parentem, atque adeò omnibus ex æquō prospicere. Notari
meretur paraphrasis Calvinii ad h. l. *Principium versus quidam
ita exponunt, frustra & temerè homines conqueri, ubi Deus videtur
nimis severè agere, quia lutum contra sigillum non exsurgit. Qvo-
niā ergo Deus opifex est totius mundi, nos sumus ejus segmentum:
quantæ insanie est contra ipsum tumultuari, ubi nobis non satisfacit?*
*Sententia quidem per se vera est, nempe omnes animæ esse sub Dei ar-
bitriō jure creationis, ideoq; ipsum pro imperio posse & auere de singu-
lis, quicquid visum est: & nihil eos proficere, qui contra blaterant.
Et hæc etiam doctrina utilis est cognitu. Verum aliter intelligi de-
bet hic locus, nemp̄ nihil esse indignius quam Deum trahi in crimen,
quasi tyrannicè dominaretur in homines, cum eos potius tueatur
tanquam opus suum. Cum ergo Deus hic pronunciat, omnes ani-
mas esse suas, non vendicat sibi imperium vel potestatem simpliciter:
sed potius ostendit sè paternò affectu esse erga totum humanum ge-
nus, quod creavit atq; formavit. Et post pauca: *Nunc videmus,*
*qualis sit hæc refutatio: Omnes, inquit, animæ sunt meæ, omnes for-
mavi, omnium sum creator: itaq; paternò sum affectu erga omnes:*
& potius sentient à minimò usq; ad maximum meam clementiam,
quam experiantur nimium rigorem & tyrannicum. H. l.*

§. X.

Secunda D. Numini ratio hæc est: *Anima, quæ peccave-
rit, ipsa morietur: filius non portabit iniuriam patris, & pater
non portabit iniuriam filii.* Ubi per animam, synecdochicè
integer homo intelligitur, cum anima, quatenus corpori contra-
distinguitur, propriè loquendo, mori non possit. Eodem sensu
vocabulum hoc etiam alibi accipitur, velut Gen. XVII. 14, Levit.
II. 1, Rom. XIII. 1. *Evidem habet & anima mortem suam, sed*

que

quæ spiritualis est, & in separatione à Deo, per peccatum facta, consistit. Hieron. Comm. in h. l. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur: non abolitione substantie, sed ex ejus consortio, qui dicit: Ego sum vita.* Verum hic loquitur Deus de morte animæ, non quantum culpa, sed quatenus pœna spectatur. *Non enim in dubium vocabatur à Judais, neq; verò poterat ullâ ratione controverti, an pro peccato parentū filii transgressores efficerentur; sed an peccantibus patribus filii plectherentur, idz, de temporalibus suppliciis per Chaldaeos illatis, quæ patiebantur miseri, intelligebant, non de spiritualibus, quæ parum ipsicurabant; verba sunt Hieronymi Pradi Comm. in h. l. Idq; sequentia magis dilucidant: Filius non portabit iniquitatem patris, nec hic illius.* Ubi portare iniquitatem est puniri & pœnas pati ob iniquitatem. Non enim hic sermo est de portatione simpli- ci, de quâ Gen. L. 15, sermo est, sed molestâ & laboriosâ, h. e. cum perpeccione suppliciorum conjuncta, de quâ etiam Esa. LIII. 4. Joh. I. 29. 1. Pet. II. 24. agitur,

S. XI.

Gemina sunt huic dicto multa alia luculenta Scripturæ S. loca, quæ disertè dicunt, unumquemq; suum iðov, proprium onus portaturum, Gal. VI. 5. & de se ipso rationem Deo redditurum esse, Rom. XIV. 13. & ἀπεστολὴ πρὸς Deum judicare, juxta cuiusque opus, 1. Pet. I. 17. Principio huic suam, pro Sodomitis depreciationm superstruit Abraham, Gen. XVIII. 23, 24, 25. An perimes justum cum injusto? Sunt fortassis in istâ civitate quinquaginta justi. Num etiam perdes, & non parces isti loco propter quinquaginta justos, qui fortasse illic sunt, absit à te, ut tale quia piam facias, & interficias justum cum injusto. Absit, inquam, à te. Anne judex totius terræ non exerceret jus? Idem Deus ipse significat, rationem servatæ urbis Ninivæ expositurus, Jon. IV. 1. Ego non pepercerim Ninivæ urbi magna, in quâ sunt plures, quam duodecim myriades hominum, qui non sciunt (discrimen) inter dextram

*suam & sinistram, & bestiae multæ. Et autor libri Sapient. cap. XII. 15. Deum hunc in modum alloquitur: Tu justus existens ju-
stè omnia disponis ipsum qui non debet puniri, condemnare (ἀντι-
τρέον) alienum existimans à tuâ potentia. Et sane non appareat,
quomodo insons illas justitiâ, ob alterius delictum puniri que-
at. Obligatio enim ad poenam omnis ex meritô oritur; & cul-
pa atque poena relata sunt. Peccati stipendum mors est, Rom.
VI. 23. Positò itaque vel sublatò relatorum unò, ponitur quo-
que tollitur ve alterum. Hinc Dominicus de Soto Libr. I. de
Just. & Jure. Qv. VI. art. 5. Pœna vel ipsò attestante nomine, tam
cognatam habet connexionem ad culpam, ut pœna neque rem ha-
beat, neg. justum nomen, nisi sit pro culpâ posita. Idem docet
Thom. I. 2. qv. 87. Art. 7. & 8. Perer. in Gen. c. 9. p. 541. n. 163. item
August. L. 1. Retract. cap. 9. & Ep. 105. Leo M. Ep. 98. Cicero
L. IV. de nat. Deorum. Ferretne, inquit, ulla civitas latorem ejus-
modi legis, ut condemnetur filius aut nepos, si pater aut avus deli-
quissent? Senec. L. II. de Irâ. c. 4. Nihil est iniquius quam ali-
quem heredem paterni odii fieri. Philo Jud. L. II. de Legibus spe-
cialibus, reprehendit morem quarundam gentium, quæ tyran-
norum aut proditorum insontes liberos morte afficiebant: Ju-
stum enim est, inquit, eorum esse supplicia, quorum sunt peccata. Et
libr. de pietate: Haud scio, scribit, an posuit ullum pejus induci in-
flatum, quam si nec malos à bonis genitos sequetur pœna, nec honos
habebitur bonis, qui ex malis parentibus nati sunt. Alter lex, quæ
de suis actionibus queng. judicat, non ex cognatorum virtutibus,
laudat, aut ex eorundem vitiis punit.*

§. XII.

Amplius hoc patebit, ubi ad finem, ob quem pœna infligi
solet, respexerimus. Vel enim delicti emendationem illa consi-
derat, vel vindictam culpæ proportionatam; hinc oritur parti-
tio pœnæ in vindicantem & emendantem. Illa communiter

pœna

poena absolutè seu propriè dicta vocatur, & describi potest, quod
 sit *malum culpe vindicanda definitum*; ista verò poenæ medi-
 cinalis nomine alias venit, & definitur, *malum culpe emendandæ
 constitutum*. Differunt quidem in aliquibus hæ poenæ, in eò ta-
 men convenienter, quod utraque ei, cui infligitur, non modò mo-
 lesta videatur, sed etiam respectum habeat ad culpam. Pone
 itaque vel remove culpam, & poenam quoque pones vel remo-
 vebis: vindicativam certè, utpote quæ solis delinquentibus,
 etiam Divinò in judicio metuenda est, juxta Psal. V. 6, 7. *Odi si i-*
omnes, qui operantur iniquitatem, & Rom. I. 18. Manifeſtata est
ira Dei adversus impietatem & injustitiam hominum; innocentibus ex adverso bona quævis speranda sunt. *Nonne si bene egeris,*
erit remissio? inquit Deus ad Cainum, Gen. IV. 7. Correctiva
 pariter nullæ pacto in illis locum habere potest, qui nullâ ratione
 peccati alieni sunt complices, hoc enim idem esset, ac filio aut
 nepoti, ob morbum patris vel avi, medicinam adhibere. Aliud
 præterea est argumentum, quod absurditatem hujus rei convincit
 Timo apud Plutarch, in de serâ Numinis vindictâ, qui cum Euripi-
 pide, Diis objicit, quod majorum delicta posteris imputent, cum
 sive fontes isti puniti sint, inustum sit, etiam ab insolentibus poe-
 nas exigi, quoniam bis ob idem delictum ne nocentem quidem
 plecti, æquitas permittat, sive sociordia quâdam prætermissam in
 illos poenam serò ab innocentibus exigentes, non rectè tardita-
 tem suam injustitiâ exsareiant. Neque enim majori id æquali-
 tate fieri, quam Alexander Branchidarum urbem, occisis omni-
 bus propter templum Milesium, a proavis istorum proditum,
 everterit, aut Agathocles Syracusarum tyrannus Corcyrorum
 agros devastarit; hâc de injuriâ querentibus ratione redditâ,
 quod majores ipsorum Ulyssem hospitiô exceptissent; Ithacen-
 ses quoque raptas oves repetentes irritos, hâc tantum responsô
 eludens: *Quod Rex illorum (Ulysses) cum in Siciliam venis-
 set, etiam ipsum paltorem (Polyphemum) excœcarit.*

§. XIII.

Antequam ad rem ipsam progrediamur, unum & alterum, quod in progressu obstaculo esse posset, removendum est. Constat enim quousq[ue] propositionem hanc, alienum peccatum nemini imputari potest, Pelagiani & Sociniani extendant, ut nimurum ex eō ipso, peccatum originale infringant, & Adamum suas tantum res egisse ostendant. Ita quippe Julianus apud Augustin. To. VII. Op. Lib. VI. contra eundem, c. 10. sentit: *Alienis peccatis alter obnoxius non tenetur*: Hæc vero objectio propositionem nostram non infringit, ita ut ab imputatione peccati Adamitici, vel imputatio cuiusvis peccati in genere statui, vel illa negari debeat. Scriptura etenim disertè pronunciat in Adamo peccasse omnes. Rom. V. 12. & 15. *Unius delicti complures mortui sunt*. v. 16. *Judicium ex uno est in condemnationem multorum*, v. 18, 19. *Sicut per unius peccatum in omnes homines in condemnationem, (res cessit) ita per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae*: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita etiam per obedientiam unius justi constituentur multi*. Ex quibus verbis sequens nascitur argumentum: Quam vera est imputatio obedientiæ Christi, tam vera quoque est imputatio inobedientiæ Adami. Atqui illa est verissima; Ergo & hæc talis est habenda. Nimirum Deus Adamum non solum seminale caput & scaturiginem generis humani constituerat, sed etiam ut esset velut tutor & procurator, cum quod pactum inibat; quiique omnium & singulorum posteriorum vice fungebatur. Positò hōc, sequitur peccatum ejus toti quoque posteritati potuisse imputari, & scodus cum eō, tanquam cum totius humani generis propagatore violatum esse. Ex quâ explicatione, si cui forte oriatur dubitatio, pupilum non teneri actionibus tutoris, nec clientem procuratoris, si vel limites præscriptos transgressi sint, vel fecerint aliquid in

præ-

præjudicium illorum: ita nec posteros Adami teneri posse ejus peccatō, quia hoc in mandatis eidem nunquam dederint; respondeamus, Adamum, præterquam quod tutor noster & procurator fuerit, etiam, quasi principem nostrum, cum Deō pactum iniisse; Jam autem absurdus esset subditus, qui propter incommoda & calamitates ex fœdere à Principe initō aut ruptō ortas, clamaret, nihil hoc ad se pertinere, neque se Principi hoc in mandatis dedisse. Qui enim perpenderit, ut jura & debita parentum traducantur ad liberos, etiam si horum mandatarii non sint, facilè intelligeret, non esse præter morem, si inferior teneatur actionibus superioris. Ad id, quod de tutoris & procuratoris actionibus oggerebatur, hōc reponi potest, non quidem negari posse, actionibus tutoris aut procuratoris conditionem pupilli vel clientis deteriorem fieri posse, quō in casu actio non-nunquam adversus tutorem vel in procuratorem datur. Sed quid solatii tota illa actio affert, cum tutor aut procurator non est solvendo?

S. XIV.

Verūm hæ similitudines à rebus humanis petitæ particulatim & aliquo usque tantum rem illustrant, non autem exhaustunt ejus profunditatem; quare nec ad vivum semper refecandæ sunt. Maneat hoc ex dictis, iniisse Adamum cum Deō fœdus, non sibi tantum, sed & nobis, ita, ut quō pacē imaginem Divinam, ad quam conditus fuerat, ad posteros propagare potuisset, pariter quoque jacturam ejusdem tota posteritas fecerit. Regerit Curcellæus hac in parte Socinizans, Vindiciis Armiani adv. Moysen Amyrald. Cap. XI. Nullibi in Sacris literis de Adamō legi, quod de Abrahamō, in hujus lumbis fuisse Levi. Hebr. VII. 9. ideoq; pro purō puto humani ingenii figuramentō habendum esse, cui dogma fidei superstruere absurdum foret. At sanè is non alia ratione posterorum personam sustinuit, quara cetera stirpium capita,

capita, eorum, qui ab ipsis originem ducant. Quis autem dixerit, singulis hominibus omnium suorum majorum peccata imputari? nec ulla vis est in Levie exemplo, ad probandum id, quod in questione est. Figura est enim in verbis Apostoli, ut appareat ex emollitione, quā utitur *āētōs ēπēw*, ut ita loquar. Itaq; ex iis ad summam nihil aliud concludi potest, quam nos figurat̄ aliquā loquendi ratione posse dici in Adamo peccasse.

§. XV.

Verum plurima sunt, quā in hāc Curcellæi objectione reprehensionem merentur. Namque (1) putat totam peccati Adamitici in posteros propagationem in nudā subsistere imputationem, cuius tamen ratio non ea solā absolvitur, sed vitiositatem quoque hæreditariam non aliter, quam quomodo pestiferā lue infectus alium inficere potest, secum vehit. Hinc Danhawerus in Hodosop̄. Phœn. IV. p. 365. explicans, quomodo in Adamō omnes peccaverimus, addit etiam hoc factū quoad reatu per imputationem, non solē & ex solō arbitrio Dei factam, alioquin injusta foret peccati pœna (sicut Christo iniquè imputatum fuisse nostrum peccatum, nisi ille sponte suscepisset,) sed quod sequitur, quoad naturalem pravitatem per generationem: ut enim nature sequitur semina quisq; sua; ut aquila ferox non mitem generat columbam, sed aquilam; leo ferus leonem ferum, & inter homines non raro podagricus podagricum, ebriosus ebriosum: ita Adam, in cuius lumbis nos eramus virtualiter, representator, fons, caput, seminarium totius naturæ humanae suam nobis labem afferit: qualis enim terrenus, tales terreni (1. Cor. XV. 48, 49. Genes. V. 3.) Quam certa est influentia immortalitatis ac impeccabilitatis ex secundo Adamō in suos tum filios, quoad gloriam; tam certa influentia misericordia primō Adamō: ac veluti imago Dei generatione fuisse propagata, ita eadem imago hominis lapsi. Idem ante ipsum docuit Hunnius Qq. ad Genes. III. p. 100. An autem posteri nibil-

nihilominus damnati fuissent, propter pomum illicitum esum, sc̄a transgressionem Adæ, si maximè in ipsis vitium peccati propagatum non fuisset? Nequaquam. Nam reatus peccati in persona, quæ censetur rea, vitium proprium infallibiliter presupponit.

§ XVI.

Deinde (2) præsupponit, nullibi in S. literis de Adamō legi, quod de Abrahamō, in hujus lumbis fuisse Levi. Ast legi per consequentiam, inspectio loci ad Hebræos ostendit, Apostolus enim ex generali ratione paternitatis (in quā nō esse filii virtualiter latet,) colligit; quæ collectio non minus ad Adamum fluit, quam Abrahamum. (3) Cætera stirpium capita non æqvæ derivant sua peccata, quemadmodum Adam, quia hoc quidem, non verò illud Scriptura S. affirmat. Magis verosimile videtur Adami peccata, post primum commissa nobis imputari potuisse, nam & post primum peccatum, in ejus suimus lumbis; at hoc ita se non habet, quoniam actiones tutoris & procuratoris, postquam ab administratione emotus est, imputari pupillis & clientibus non possunt. Quemadmodum enim Protoplæstus, si perseverasset in imagine concreata, eiq; pro se & posteris concessa à Deō, egisset aliquid in totius humani generis commodum, & tamen non propagasset dona personalia aliasque virtutes de novō partas, sed solam integratatem originalem, ita posteri non participant de peccatis actualibus ab illō commissis, sed hoc tantum iis imputatur, quo pactum Dei cum eō ut totius humani generis capite violavit. Si verò hoc, seqvitur, quod neq;ve aliorum parentum peccata liberis imputari possint. Seqveretur etiam alias liberos & posteros ultimis temporibus nascituros eō infeliores reliquis omnibus esse futuros, quò plures majores pravos habuissent: ast hoc justitiæ Divinæ adversum. Idem Augustinus nobiscum agnoscit, qui quidem Enchirid. cap 46. scribit:

C

PARENTUM

parentum quoque peccatis parvulos obligari non solorum primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Ast cap. 47. statim addit: Sed de peccatis aliorum parentum, quibus ab ipso Adamus qui ad patrem suum, progenatoribus suis quisque succedit, non immitterio disceptari potest: utrum omnium malis actibus & multiplicatis delictis originalibus, qui nascitur, implicetur, ut tanto peius, quanto posterius quisque nascatur: an propterea Deus in tertiam & quartam generationem de peccatis parentum, eorum posteros comminetur, quia iram suam, quantum ad progenitorum suorum culpas, non extendit ulterius moderatione miserationis sue: ne illi, quibus regenerationis gratia non confertur, nimia sarcina in ipsa sua eterna damnatione premerentur, si cogerentur ab initio generis humani, omnium precedentium parentum suorum originaliter peccata contrahere, & penas pro eis debitas pendere, H. I.

S. XVII.

Denique nec (4) obstant verba illa: ὡς ἔπειρε πέντε, quasi illa indicarent locutionem esse impropriam, cum Levi decimatus dicitur in Abrahamō. Hæc enim si valeret exceptio, vis argumenti Apostolici periret, atque tota dissertatio diluta fieret, si sensus esset, decimatum fuisse Levi. decimatione minus propriè sic diſtā. Scopus namque Apostoli erat, eminentiam sacerdotii Melchisedeciani præ Leviticō demonstrare. Jam verò si phrasin, ὡς ἔπειρε πέντε referas, quasi Levi reverà non fuerit in lumbis Abrahāmi, & Abraham Melchisedeco decimas persolvens impropriè posteriorum vices egerit, sequitur Paulum impropriam locutionem, ex quâ nihil colligere licet, neutquam verò solidum tantæ probationis robur attulisse. Rectius alii hæc verba, ὡς ἔπειρε πέντε, ita interpretantur, ut ita loquar, ut summatim dicam, ut dicam insigne aliquid, sicut hæc vox usurpatur apud Homer. Odyss. Lib. XIV. οὐξάνευσης πέντε

n̄ επος ἐγίνεται; Clarè illud docet Sebastianus Schmidius Comm.
in h. l. Mollit itaque Apostolus rem, qua Hebreos dura videri poterat.
Nam alias juxta Hebreos hoc non siebat, ut decimarentur,
qui in lumbis aliorum: neq; lex hic tam rigorosa fuit. Itaq; Apo-
stolus hoc non vult simpliciter acceptum, sed suō quoddam modō. Et
si velimus, ut in hoc mysterio eorum sit, accuratius agere q. d. Et
suō quoddam modō. Et si accuratius nonnihil, ut hic eorum est, rem
consideraverimus, non simpliciter & vulgari modō, ipse etiam Levi
decimas per Abrahamum solvit. Tota hæc decimationis Levi-
tarum in lumbis Adami adhuc existentium ratio ad illustran-
dum modō hoc dogma nostrum assertur, ut, quemadmodum
Abraham hic non suas modō, sed & posteriorum res egit. Ada-
mus quoque & suam, & Divinā dispositione, posteriorum per-
sonam repræsentārit, adeoque omnes in eodem peccārint.

§. XVIII.

Non minoris momenti objectio est, quæ à pœnis bruto-
rum depromi potest hōc modo: si verum est, quod in bruta
eadunt pœnæ, sequitur, quod multò magis in hominem, licet
in innocentem & immeritum illa diūtari possit; sed verum
est prius, ergo & posterius. Antecedens ex sacris, item pro-
fanis literis facile probari potest. Nonne enim propter præ-
varicationem Adæ, maledixit Deus serpenti? Genel. III. 14.
Tempore diluvii perierunt omnia animantia, exceptis iis,
quæ in arcâ servabantur, Gen. VII. 21, 22, 23. Bos ille cornupe-
ta, qui hominem occiderat, lapidari: & jumentum, quōcum
homo concubuerat, occidi jubetur, Exod. XXI. 28. Levit. XX.
15. Ex profanis constat literis, an seres, quod vigili clamore
& alarum crepitu hostem adventantem, cum suis Rōmæ dormi-
entibus, prodiderint, & Capitolium defenderint, à Romanis
præmiō affectos, canes autem, quod siluisserent, suspensos fuisse;
quod præter Plinium L. X. c. 22. & L. XXIX. c. 3. & 4. Livius
etiam

etiam L. V. c. 47. nec non Philip. Camerarius Hor. Succis. Cent. I. 70. testantur. Hinc R. Kimchius in Psal. CXLV. 17. *Alii dicunt, præmia & pœnas ad nullum animal pertinere, præterquam ad hominem solum.* At nos dicimus, etiam reliquis animalibus reperi præmia & pœnas in negotiō hominum. Huc facit, quod repe-
ximus Gen. IX. 5. de sanguine hominis: *Etiam ē manus omnis anima-
lis requiram illum.* Dicitur quoq. Habas. II. 17. *Et vastitas be-
stiarum terrebit eos.* Et ad mercedem pertinet, quod habetur I. Reg.
XIII. v. 28. & leo non laceravit asinum.

§. XIX.

Evidētē Socini sectā bruta animalia ut pœnæ propriè
dicitæ, ita quoque legis obligantis capacia videntur. Ita in-
faustus hujus Scholæ antesignanus Libr. de statu primi homi-
nis c. VI. p. 157. seqq. inquit: *Non solus homo, sed cetera quoque
animalia à rectâ viâ deflexerunt.* Addit quidem bestias non
tām graviter, nec in iisdem plerisque rebus delinquere, in qui-
bus homo delinquit, sed tamen verè delinquere posse, non
negandum esse existimat. Similiter Crellius contra Grotium
p. 64. nugatur. Quod ideò disputant, ut peccatum & defe-
ctionem protoplastorum purgare & extenuare possint, sicut
hoc etiam facit Isaacus Peyrerius in System. Theol. & Præada-
mitas suos describit, qui brutorum referentes indolem defece-
runt materiae vitiō, principiō eorundem cum creaturis irra-
tionalibus corñuni. Hinc monstroſi horum termini: peccatum
naturale, materiale, carnale, emergunt. Verū si capropter,
quod aliquando graviter in bruta animadversum legitur, con-
cludendum est, peccata in eadem cadere; concludi etiam po-
terit, quod aliae creaturæ inanimatæ peccati participes esse
possint, item quod instrumenta, quibus aliquod damnum fa-
ctum fuit, transgressionis alicujus postulanda sint, quæ subinde
abolita & quasi gravissimis suppliciis affecta fuisse legimus.

Exem-

Exempla in Sacris vide Gen. III. 17. Deut. XIII. 17. Jos. VI. 20.
 2. Sam. I. 25. Ex Demosthenis oratione contra Aristocratem &
 Aeschinis contra Ctesiphontem, appetet, ex Atheniensium legibus lapidem, lignum, securim, & id genus alia, quoties homicidii instrumenta fuerant, in Prytanæo in judicium deducta, velut in poenam. Sic statuam Theogenis, quæ casu suô aliquem oppresserat, Thasii in mare protrahendam decreverunt. Vid. Dio Chrysost. in Rhodiaca, item Seldenus L. I. Jur. Nat. & Gent. c. 5. Albanum jussisse funditus exscindi Calemburgii Comitis ædes, Gheusii quondam nominis natalem dominum: excitataque ibi marmorea columnâ inscribi in basi quatuor lingvarum monumentum; Eâ in areâ ædes Florentii Pallanti solo æquatas esse, ob execrandam memoriam repetitæ in illâ conjurationis adversus religionem, Ecclesiam Catholicam Romanam, Regiam Majestatem ac patrias regiones, refert Famian. Strada Decad. I. L. 7. Hoc factum, non quasi illa loca vel instrumenta deliquerint, sed in detestationem homicidii vel parricidii per eadem, vel occasione eorundem perpetrati. Idem de jumentorum poenis est judicandum, v. g. cum quibus rem habuisse homo, sublata illa è mediò fuisse, partim ne bestia superstes hominis suppicio affecti memoriam cum ignominia semper refricaret, partim ne alium fortè suô aspectu ad similem libidinem irritaret. Similiter bos ille cornupeta interemptus, omnibus exemplò & terrori esse debebat, quantum esset peccatum homicidium ab homine commissum, cum sanguis humanus etiam ab animâ irrationali repetatur. Confer. Pufendorff. L. II. de J. N. & Gent. c. 3.

§. XX.

Igitur firmum manet, quod liberi transgressionis parentum nequam teneri, nec eorundem poenis affici possint. Quamvis enim in se sancti non sint, sed destituti

C 3

gloria,

gloriâ, quâ coram Deo consistere debent: & sanctimonia, quæ illis ab Apostolô tribuitur 1. Cor. VII. 14. externa, aut si mavis, Ecclesiastica sit, talis nimirum, quâ sanctificari vir vel mulier infidelis in conjugi fideli dicitur, quæ non ulet ad Christianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, definiente Augustin. L. III. de Peccat. merit. & remiss. c. 12. Tom. VII. Oper. Nihilominus tamen per baptismum fiunt participes regenerationis, Joh III. 5. Justificationis vel remissionis peccatorum, Act. II. 38. Renovationis, Tit. III. 5. sive sunt justi & justificati. Rom. III. 28. perfectè & plenè sibi à Deo habent remissa peccata, Matth. XVIII. 32. Mich. VII. 19. & Psal. CIII. 3. & per consequens nulla in eos cadere potest poena. Tunc enim omnino perfectè peccatum censetur remissum, cum non solum culpa, sed etiam omnis pena fuerit remissa, fatente vel Bellarminô L. V. de Amiss. grat. & stat. Peccat. c. 20 securus quam ille sui oblitus L. IV. de poenit. c. 2, 3. cum Patribus Concilii Trident. Sess. VI. c. 14. & Sess. 14. Can. 12. tradidit, post remissam culpam sèpè remanere reatum penas temporalis, tum in præsenti, tum in futurâ vitâ luende. Quod derogat perfectioni misericordiae & gratiae Dei, cuius opera perfecta, Deut. XXXII. 4. item perfectioni meriti Christi, in quo fundata est peccatorum nostrorum remissio, Ephes. IV. v. ult. Sicut enim Christi sanguis nos ab omni peccato emundat, I. Joh. I. 7 ita in Christo per baptismum ab omni tam culpâ quam penâ absolvimur.

§. XXI.

Positò verò infantes à baptismô excludi, dummodo ipsi non obicem sibi ponant, & ex malitiâ salutare regenerationis lavaerum repuant, ex sola Sacramenti privatione condemnari non possunt. Ordinarium salutis medium est & manet baptismus, juxta æternam Christi

Christi legem, Joh. III, 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Quæ verò verba ita interpretanda esse docet doctiss. Danhawerus in Hodosop. p. 994. Nullus ἀβάπτισος introbit in regnum celorum: ἀβάπτησος, inquit, privatim, quicum posset ac deberet baptizari, tamen consilium Dei adversus semet ipsum aſternatur. Nam ut negativè accipiatur ac in finitè de omni non baptizatis impliciter, id non permittit scopus Scripturæ Evangelicæ generalis &c. Valet hoc in casu regula vulgaris: Necessitas non habet legem. Atque hinc & notanter Salvator, cum Marc. XVI, 16. dixisset: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, in ponendo antitheto, quando subiicit: Qui verò non crediderit, condemnabitur,* id ipsum innuit non omnes statim perire, qui non baptizarentur, casu quodam exclusi, solam damnationis causam esse αἰτίαν, quemadmodum oppositum ejus, fiducialis justitiæ Christi apprehensio proximè salvat. *Quanquam peccatum originis ex se mereatur damnationem, & cruciatuſ infernales, adeoq; causa damnationis sufficiens sit, non tamen est causa illata damnationis (quæ Dei est benignitas) adequata,* inquit Scherzerus in System. Theol. p. 170. & quos ibi laudat, Menzerus, Hopffnerus, Lutherus. Unde nequaquam hujusmodi infantes cum Pontificiis planè damnamus, sed optimè de ipsis speramus, probe memores, Dei manum non esse abbreviatam, ut extraordinariè salvare eos non possit. Si enim oculo misericordiæ respexit infantes Ninivitarum, ne perderet eos morte prima, quanto magis parcer illis, & custodiet à morte æterna? uti accuratè infert ex Jon. IV. II. laudatus modò Danhawer. I. c. p. 1001. seqq. Et licet ejusmodi infantibus pravos competere motus negari non possit, nondum tamen ea propter peccata nudè talia damnationem auctu inferunt & in judicium Dei olim venient. Dicuntur innocentes, Ps. CVI 38. Jer. XIX, 4. propter maleficiorum præelectivorum αἴτια, siquidem nondum labo-

laborant voluntariis peccatis. Deest illis *wēgālpeōc*, proximum humanarum actionum principium. Ob quam causam perhibentur non peccare ad *similitudinem transgressionis Ade*, Rom. V. 14. quæ erat *āropia wēgālgenū* Gen. III. 6. & nescire discrimen inter bonum & malum, Deut. I. 39. interque dextram & sinistram. Jonae IV. 11. Imò disertè infantibus, Jacobo & Esavo bona & mala *τεχνή* (cum plenò liberi arbitrii usu conexa) detrahitur, Rom. IX. 11.

S. XXII.

Dices: hæc quidem valent de infantibus tenellis; sed locus apud Ezechielem de filiis & nepotibus ætate proiectis, & similiiter peccatoribus agit. Concedamus illud; an verò capropter omnes filii paternis inquinantur vitiis? quam verum enim est degenerare haud paucos à paternâ gloriâ; tam certum est Scenecæ pronunciatum L. lll. de Benefic. c. 29. Illud conceditur, multos filios maiores potentioresq; extitisse, quam parentes suos, eqvè illud, meliores fuisse. Exempla in sacris sunt filii Core, qui cum aliis non perierunt Num. XXVI. 11. *ed quod paternum crimen determinati sunt, ac propterea Mosis preces ad Deum fuisse* (c. XVI. 22.) ipsis profuerint, ut annotat Calovius in Bibliis illustrat, ad h. l. item Hiskias impii Achasi filius, 2. Reg. XVI. 20. Josias, Manassis nepos & Amonis filius, 2. Reg. XXI. 24. Huc etiam nonnulli referunt Jobum, magnæ patientiæ nec minoris probitatis virum, quem ex nullâ aliâ, quam impii Esavi stirpe originem traxisse, Zehnerus, Gerhardus & Chemnitius sentiunt, præeuate Lutherò, qui hoc ex Ambrosiò & Augustinò in c. 36. Gen. defendit. Ambrosius Enarrat in Pl. XXXVI. ita commentatur: *Deus impiorum semen exterminat. Semen utiq; non temporalis generationis, sed mentis interna & impietatis successionem. Nam utiq; Hiob de semine Esau genitus scripture testificatione signatur. Quomodo ergo Esau periret in Job, cum tantus iste vir fuerit,* ut *venitrum*

venturum in terras Dominum prævideret, qui certum istius seculi diabolum subjugaret? Ergo hoc queritur, ne malitia transfundatur in posteros. His gemina expositio apud Augustin. Enarrat. in citat. Psalmi allegata verba extat: Quomodo semen illius (justi) in benedictione erit, sic semen impiorum peribit. Semen enim impiorum, opera impiorum. Nam invenimus rursum filium florere in seculo: & aliquando fieri justum & florere in Christo.

S. XXIII.

Quæ cum ita se habeant, & evictum sit ex una parte, qualiter Deus transgressiones parentum usque in tertiam & quartam generationem visitare velit; ex altera vero, neminem, nisi propter propria delicta teneri posse; queritur, num aliqua inter haec Scripturae S. loca contradicuntur, sit statuenda, aut quomodo illa tolli possit? Sanè Ariani non duxerunt sibi religioni Scripturas S. perplexitatis arguere. Epiphan. Hæres. 69. Nihil est contrarium, quodq[ue] mortifera perplexitatis speciem habet in Divinâ scripturâ, sicut hi (Ariani) pretendebant. Et Hæresi 73. contra Semi-Arianos disputans: Imprimis itaq[ue], inquit, crede, nihil nec in ceteris Scriptura locis, nec in eis, de quô modo agimus, ulla sibi invicem Scripturae verba contraria: tametsi ius dñi taxat, qui vel sanâ sive prædiu non sunt, vel imbecillioris ingenii sunt, repugnare videantur. Ex quibus verbis colligi potest, qualiter isti homines verbo Divino contradictionis notam inurere non erubuerint. Idem etiam sensisse Manichæos, auctor est Augustin. Lib. adv. Admant. c. 7. Tom. VI. Oper. qui huic loco Exod. XX. Illud de Evangelio dicebant esse contrarium, quod Dominus dicit, Estote benigni, sicut pater uester cœlestis, qui solum suum oriri facit super bonos & malos, &c. Refutat statim istos homines Hipponensis Præfus & misericordiam Dei cum ejus iustitiâ ac severitate simul stare posse, egregie decet. Et quô pacto contradictione aliqua in Scripturâ S., salvâ

D

ejus

ejus Majestate & autoritate statui possit? Ut plurimum enim
 vel ex judicii immaturitate, vel ex præcipitantiâ mentis, vel
 ex inconstantia ejusdem contradic̄tio oritur. Sæpè quod
 probavit juvenis, improbat senior factus, & quod afferuit cre-
 scente judiciò, maturò eôdem refellit. Multis stulta superbiaz
 persuasio contradictionis fit occasio: vident quidem melio-
 ra probantque, veritatem tamen, quam sententiam suam de-
 serere malunt. At sapientia Dei, uti uno omnia perlustrat
 intuitu, cuncta scrutatur & penetrat, ita immotæ est veritatis,
 nec falli, nec fallere potest. *Rectum (est) verbum Jehovæ, &*
omne opus ejus in veritate, Psal. XXXIII. 4. Sanctifica eos, Pater,
in veritate, sermo tuus est veritas, inquit Christus Joh. XVII. 17.
 Sicut namque à summa veritate & sapientiâ nihil nisi verum
 & sapiens procedere potest, ita verum, quod ab eâ procedit,
 sibi ipsi repugnare nullò pâclō potest. Aureum hâc de re Ju-
 stini Martyris in Dialog. cum Tryphone dictum est: *Nun-*
quam audubo, ait, vel hoc in animum inducere, vel eloqui, ut dicam,
adversari sibi invicem scripturas; verum si quæ scriptura, que
 ejusmodi esse videatur, in medium proponatur, & obtentum cum,
 quasi adversaria sit alteri, habeat; omnibus modis persuasum ha-
 bens, nullam Scripturam ab aliâ diversam esse, ipse me potius, que
 dicta sunt, non intelligere fatebor. Pollicem ei premit Augustinus L. XLI. de C. D. c. 41. Mira est sacrarum literarum
 concordia, quod si enim inter se pugnantes & aïcordes divine Scrip-
 turæ suissent, quomodo unquam fieri posuit, ut scripturis inter se
 dissonis ac pugnantibus tot tantig. populi crediderint, non indocti
 solum & in agris assueti, sed in urbibus, in scholis & gymnasiiis inter
 litigiosas disputationes detriti? Et Libr. de Pr. & grat. c. I. Si
 quid occulta significatione (in Scripturis) suspensum, aut à scri-
 bente breviter vindicatum minusq., quam humani cordis obtusio
 poscebat, expositum est, hic lucidius apparere, ibi altius latere, nus-
 quam deesse noverit veritatem. Item Chrysost. Homil. 4. in
 Marc. Scriptura coheret sibi tota.

99 A 6943




BR

Dattrau

VS 17. Febr.

Farbkarte #13

B.I.G.



35
1

DISPUTATIO THEOLOGICA I.
DE
**GENUINO ET
HARMONICO SENSU
DICTORUM**

Exod. XX. 5. & Ezech. XII. 19. 20.
apparenter sibi contradicentium;
Quam,
**RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,**
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,
REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS BRAN-
DENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.
VENERANDÆ FACULT. THEOL. CONSENSU
IN ACADEMIA REGIOMONTANA
Placide eruditorum ventilationi fistunt,
PRÆSES
MICHAEL SCHREIBER,
S. Theol. Doct. & P. P. Ordin. Consiliar. Consistorial. Eccles.
Cathedral. Cniphofianæ Pastor ac Bibliothecar. Wallenrod.
Et Respondens
JOHANNES HEINRICUS SAFFT,
Seelgenfeld Prussius,
ad d. Novembr. A. MDCCXI.
IN AUDIT. MAX. Horis confuetus.
REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.